

Q. K. 401, 3.

X 1903349

I. N. 7.

II n
3973

DISSERTATIO HISTORICA

DE

HOSTIA
STERNBERGÆ
A JUDÆIS CONFOSSA
ET CRUENTATA,

QUAM

benevolè suffragante Ampliff. Facult. Philos.

PRÆSIDE

M. HENR. ASCANIO Engelfel
Rostoch, Meclenb.

Fauctore suo omni honoris cultu devenerando,
publicæ ventilationi

H. L. Q. C.

Anno MDCXCIX. d. i. Febr.

proponit

JULIUS ERNESTUS Sahl /
Sverino-Meclenb.


A. & R.

LIPSIÆ, Stanno BRANDENBURGERIANO.



DEO
PATRIÆ
ac
PARENTI





I. N. J.

PROOEMIUM.



Gloriam DEI finem nostrum ultimum esse debere, quam optimè judicat Johannes, ab aureo eloquentia flumine dictus Chrysostomus, quando dictum Paulinum 1. Cor. X. v. 31. εἴτε ἐν ἰδίῃ, εἴτε πίνετε, εἴτε τί ποιείτε, πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ ποιείτε, vocat καὶ ῥολικὸν καὶ κἀδισσὸν ὄρον Hom. 25. ad h. l. pag. 542, indicans: Gloriam Dei omnibus actionibus nostris normam prescribere optimam. Illustrat sententiam istam immortalis gloriae Vir Joh. Gerhard. P. 1. Dispp. Theol. quas pro gloria Dei contra Pontif. Calvin. Photin. & Fanaticos scripsit p. 1. Gloria sanè Dei nisi sit omnium scientiarum & actionum finis ultimus, omnia erunt perversissima. Nihil igitur aliud considerationem in hac mortalitate magis meretur, quam divina, in quibus maximè gloria ejus effulget, opera. Sunt autem illa vel ordinaria, quae mediante ipsa natura peraguntur, vel extraordinaria, in quibus consuetus natura ordo non servatur. Ultraque istorum contemplatione nostra sunt quam dignissima. Illa, quia Ps. 19. 1. Coeli dicuntur enarrare gloriam Dei, quare & adhortamur Esa. 40. v. 26. elevare in excelsum oculos nostros; & ex Ethnicis Seneca ep. 94. naturam vultus nostros erexisse scribit ad opera mundi contemplanda. Imò τὰ ἀόρατα ἔργα Θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καὶ ῥεῖται asserente Paulo Rom. 1. v. 20. Quicquid enim intuearis Creatorem suum & providentiam ejus demonstrat; modo philosophantes ne nimis Creaturis intenti homines Creatoris obliviscantur; quò vitiò laborarunt Astrologici illi Theologi à Beda in Ps. 7. memorati, qui damnationem reatorum & saluationem

A

tionem

tionem bonorum constellationi tribuerunt, planè certè contra Conditoris summi mentem, qui non fata hominum, sed suam gloriam ex astris relucere vult, & ut talis Creaturarum contemplatio homines inducat ad ulterius de ipso inquirendum. Hæc verò adhuc majorem contemplationem requirere, nemo, nisi mente captus, negabit, cum unusquisque mortalium visis iis quæ præter consuetum ordinem contingunt, obstupescat. *Necessaria est hæc consideratio, quia à mirabilibus, (quæ etiam Diaboli ac Magi facere possunt, exemplò Ægyptiorum, Simonis, Apollonii Tyanæi, quem vel majora Christo miracula fecisse contendit profanus Hierocles in Tract. quem vocavit λόγοι Φιλαληθεῖς, vid. Cave. script. Eccles. Hist. lit. p. 198.) vera miracula probè distinguenda veniunt. Maxime autem nostro hocce seculò necessaria esse exacta ejusmodi consideratio videtur, quia circa miracula p. in defectu peccatur ut à Beckerò in Tract. The betoverde Werreld, quasi sc. nihil facerent miracula ad probandam veritatem Religionis Christianæ, vid. M. Leydeckerus in diss. Histor. Theologica ipsi opposita; p. in excessu à Pontif. qui non solum miracula absolutæ necessitatis esse contendunt, sed plurima quoque figmenta de miraculis Sanctorum, reliquiarum aliq, exhibent, non perpendentes quod veritas Dei mendaciò minimè indigeat. Hæc igitur & nos considerantes, cum in Historiâ Patriæ, cujus præ cæteris rationem habendam esse, ipsa pietas svadet ac æquitas, relationem de sanguinis fluxu ex hostiâ reperiremus, non indignam esse eam materiam, quæ aliquantum perpenderet, judicavimus. Ita quidem, ut in Sectione I. factum ipsum, una cum circumstantiis exhiberemus, in II. aliquale judicium de hac relatione paucis ferremus. Faxit T. O. M. ut & hæc ad ipsius gloriam, quam pro scopò habent, faciant.*

SECTIO I.

§. I.

Ipsam Historiam ex Chronicò Rostochiensi curâ P. Lindenber-
gii conscriptò Lib. I. cap. 14. p. 103. usque 105. sistere placet, cum ibi secundum circumstantias factum ipsum appareat. Verba sunt sequentia:

Stern-

Sternbergæ sacerdos quidam, cui nomen Petrus Danus, homo rudi & dissolutæ vitæ, Judæo cuidam Eleazaro pro 4. solidis Lübecensibus pignori opponit lebetem æneum, neque magnum neque suum. Quem cum nummaria difficultate laborans recipere non posset, nec propter ejectæ concubinæ, (cujus lebes erat) protervitatem fœnori relinquere diutius vellet, magnopere animo angi cœpit. Id animadvertens verpus lebetis restitutione & aurei dimidii auctorio eò sacerdotem deducit, ut hostias duas, quemadmodum nominant, sacratas sibi promitteret, & nonnihil dubitanti fidem sancta dejerando faceret. Atqui Julii die 10. sacra celebraturus hostias tres clam è pyxide depromit, earundemque alteram, quam populo monstraturus erat, supra aram manifestò collocat, reliquas duas sub linò byssinò occultè condit, simulque omnes iisdem verbis, eademque intentione sacratas facit. Officio peracto hostias lacinia sericæ, quam ex arâ vicina furtim quoque præciderat, reconditas involvit, & postridiè Eleazaro, pecunia & lebate acceptis, tradit. Ille, quod hominem Christianum ad tantam sceleris atrocitatem exiguo lucello adduxisset, gestiens, rem ad uxorem defert, quæ acceptas à marito hostias in vasculum plumis refertum conjicit, superque vaporarium ad nuptiarum, quas apparabant filia, tempus collocatum abdit. Tum suæ farinae primoribus Eleazarus rem itidem ordine aperit, ac eos jure jurando de non revelando sibi obstringit. Illi ut aut divinitatem ejus, quem tantillo corpore comprehendere cernebant, experirentur; aut summâ hostem suum afficerent contumeliâ, in Eleazari verba, manibus digitisque sublatis jurant, & aciculis subulisque confodiendum, si quantitatem non excederet; sin quoquò modò in majorem excresceret, enses sarissasque adhibendas esse decernunt, ut se quoque viros esse & à majorum suorum audacia non degenerasse, intelligeret. Placet decretum, Eleazarus utramque hostiam in mensam multis antea accensis cereis cum indignatione conjicit, & primus, correptâ pro-cultrò subulâ, præcordia collimando transfodit. Idem roseus sanguis consecutus pannum triplicem penetrat & ipsam quoque mensam humectat. Quò visò omnes sic animò consternantur, ut nec quid agant, nec ubi sint facilè dijudicarent. Primus Eleazarus sese colligans vecordiam

diam in aliis arguit, timiditatem accusat, violati juramenti atrocitatem amplificat, & tribus tandem persuadet, ut sumtò animò singulis ictibus utramque hostiam sauciarent, quos similiter roseus sanguis subsecutus, suum cuique vulnus contestatus est. Supererat quintus, quem variis in medium adductis argumentis nolentem cogunt ad stimulum, cum commisso à cæteris scelere abstinere statuisset. Et secutus est ejus quoque ictum sanguis; Quin & major hostia cubitò altius à mensâ subsilit & minitanti similis omnes quinque Judæos in tantum terrorem conjicit, ut ceu fulmine icti supini in terram delaberentur, & post intervallum viribus receptis sese pavidè domò proriperent, præter Eleazarum, qui cruentas hostias, laciniis iterum injectis, ad uxorem, de eventu rei anxiam, profert tristis, & custodiendas mandat timidus, cum obtestatione, nihil sibi unquam cum Christianorum DEO deinceps rei fore. Paucis post diebus peregrè abiturus sacerdoti, quoad fieri possit, DEum suum reddendum uxori præcipit, quæ sacerdotem fortè ad rudera arcis, jam quidem demolitæ, apricantem conspicata, hostias cum involucrò, multò adhuc cruore fœdatò, fasciis implicat, eique ecce tuum, inquit, DEum, quem quomodo custodias tua maxime intererit, in laternæ capite porrigendo reddit. Is, scelere Judæorum cognitò, lacrymis & obtestationibus amentiam suam detestatus, consilium inquit de memorabili pcenâ sibi met ipsi irrogandâ, absumendo nimirum hostias, idque impunè à seriò resipiscente fieri posse argumentatur. Sed neque ex locò in quò erat, discedere misero licebat, neque licet sæpius tentaret, DEO etiam religiosè invocato, ori admovere. Quocirca hac non succedente aliâ rem aggreditur viâ, factoque scrobe involucrum cum laternæ capite defodit, locumque ramo, quem de proximò frutice decerpit, notat, & domum, Numine non amplius prohibente, repetit. Erat is dies Martis D. Bartholomæo sacer. Re tam insigni designata, sceleris conscientia neque interdiu neque noctu à perpetuis curis & angoribus hominem respirare patitur. Quocirca ad dolos conversus quibusdam ordinis sui fratribus persuadere conatur, visione se admonitum, ut Præposito Sverinensi sacrum Servatoris corpus in prædictæ arcis area tumultatum esse revelet, ac ut Magno
Duci

Duci Megapolitano de eò effodiendò inque ædem D. Virginis ibidem referendo sit Autor. At suò sibi jumentò malum accersens in proprium mucronem incurrit. Hi enim fucum subolentes, convocatis Ecclesiastici ordinis hominibus, diem pastori dicunt, locum adeunt, & hominem ligone porrecto, sicubi conditam sciat, hostiam effodere jubent. Sacerdos initiò locum longa interjecta capedine falsum fodit, veruntamen urgentibus aliis tandem laterne apicem, ipsamque hostiam invenit, & præsentibus cum horrore multò spectandam facit, quam Primates in D. Virginis ædem ferendam commendant. Mox Principes cognitò negotiò, sacerdotem pedibus simul & sermonibus vacillantem, in quæstionem abripi præcipiunt, qui non coactus, ut singula gesta erant, ordine exponit. Ibi gehennæ mancipia Judæi domesticatim conquistati & capti sunt, & infantes è totâ Megapolitanâ ditione cum uxoribus ac liberis ejecti. Sceleris verò rei viginti quinque Vulcano instar novi holocausti oblatis & vivi cremati sunt. Sacerdos ut exemplo esset compluribus, Rostochium ad locum celebriorem & bonarum literarum emporium clarissimum perducitur, ibique ad supplicium priore gravius ad vernum usque tempus reservatur. Tandem 22. Februar. quò cathedræ D. Petri memoria frequentatur, & novi in Senatum Rostochiensem Senatores publicâ omnium ordinum lætitia quondam adscribebantur, Magnus & Balthasar, Principes fratres germani, Petrum coram Pontificibus septem exauthoratum reum faciunt, mox capite rasum brevibusque indutum vestibus, carnifici tradi jubent, qui hominem à foro per urbem curru vectum forcipibus ignitis excarnificavit, post, cum instantissimâ proseyche à Christo DEI unigenitò veniam rogasset, suisque precibus sollicitasset, in monte Calvariæ rogo impositum, adustumque Veneris marito litavit.

§. II.

Exhibitâ sic historiâ ante cæteras circumstantiam *Loci* expendemus, ubi miraculum hocce contigisse refertur. Est ille *Sternberga*, non quidem urbs illa in ditione Sternbergica ad Neo-Marchiam relata, vid. P. Cluver, *Introd. in Geogr. edit. nov. pag. 215.*

M. Zeileri von den 10. Römischen Reichs-Kräyßen / quem sub Tit. Reichs-Geographia edidit Præcell. D. M. Hieron. Dicelius, p. 620. sed in Ducatu Mecklenburgensi sita, quò etiam Rostochium, ubi poena à Sacerdote nominatò sumta est, pertinet. Est autem Ducatus Mecklenburgicus pars Germaniæ inferioris, si divisionem Anno 1512. regnante Maximiliano I. Cæsare factam, & Anno 1522. Norimbergæ à Carolo V. confirmatam, respicias, ubi Germania in decem circulos divisa est, nempe Austriacum, Bavaricum, Francicum, Svevicum, Burgundicum, Rhenanum superiorem, inferiorem, Westphalicum, Saxonicum superiorem & inferiorem; pertinet ad Circulum Saxoniae inferioris, vid. Zeileri Præf. & Cluv. l. c. p. 190. Dicitur Ducatus ille alias Megapolitanus ab antiquissima illa quondam urbe Megapoli, tunc ita magna, ut duo pene milliaria Germanica in longitudine & quinque in circuitu completeretur, quam ex inscitia linguæ græcæ nonnulli appellant Magnopolin, quæque cum aliis urbibus Mecklenburgicis quondam celeberrimis, ut Kissino (ex cujus rudibus Rostochium effloruit, uti ex rudibus Megapolis Wismaria) Herula & Rheta durum illud fatum experta est, ut tota devastaretur, hodie nonnisi pago in ejus locum reposito. Conf. Kranzii Vandal Lib. V. cap. 3. pag. 104. & Lib. VII. pag. 154. cap. II. Non confundenda autem hæc Megapolis cum illis ejusdem nominis locis quæ in dissert. cui Tit. *Res Mecklenburgicæ* sub ductu Celeberr. Schurzfleischii, exposuit I. L. Olthoff / concivis noster colendiss. §. 4. Fines Megapolis extremos, dicente Lindenb., pro temporum istorum statu in *Chron. Rostochiens. L. 1. c. 3. p. 14*; versus Occidentem fluvius navigabilis Traava per Imperialem Lübecam alluens in mari tandem Balthico hospitatur; versus Occidentem hyemalem juxta metas agri Lübecensis & terminos veteris Saxoniae, quam Ducatum Laoburgensem nominant, Albis, ad quem usque protenditur, claudit. Porrò finibus Ducum Lunæburgensium Albis alveo exclusis, longissimò versus Meridiem tractu in Marchiam Brandenburgensem Megapolis prominet, mox ad Orientem recurrens eò latere satis spatiosò Pomeraniam terminat; donec ad Septentriones & mare Balthicum reversa ne littore quidem illò in Germaniâ extremò fines suos

suos circumscribi patitur, sed in ipsum quoque mare non exiguo spacio Daniam versus se extendit. Ex Lindenberg, hæc rursus deprompsit *Zeilerus l. c. pag. 1403*. Addit porrò Lindemb. in sex partes dividi Megapolin in *Ducatum Megapolitanum*, cujus urbes & oppida sint *VVismaria* cum vicina *Insula Palude*, sive *Pöln*, *Gryphis-mola*, *Tempsinum*, *Gades*, *Rhena*, *Bucovia*, *Ducatum Henetum*, ubi sunt *Gustrovium*, *Sternberga nostra*, *Malchinum*, *Stavenhagen*, *Ivenacum*, *Neocala*, *VVariina*, *Pentzlinum*, *VVreden-haga*, *Malchovia*, *Tetrovia*, *Goltberga*, *Parchimium*, *Plaga*, *Lup-sia*, *Grabovia*, *Domitzium*, *Neapolis*, *Comitatum Sverinensem*, in quò *Sverinum*, *VVittenburgum*, *Beyzenburgum*, *Cribizium*, *Hagnovia*; *Dynastiam Rostochiensem*, in qua *Rostochium*, *Ribnit-zium*, *Gnoja*, *Teslinum*, *Laga*, *Cycnea*, *Salina*, *Marlovia*; *Star-gardiensem Dynastiam*, ubi *Brandenburgum*, *Stargardia*, *Fursten-berga*, *Strelicia*, *Mirovia*, *Fredlandia*, *VVesenberg*, *Episcopa-tum* quo pertinent *Bucephalia* & *Peninsula Sverinensis*. Ad quod eò melius tenendum sciendum est, quod diversissima nunc sit ac olim rerum *Mecklenburgicarum* facies. Antiquissimi ejus, ut & circumjacentium Regionum incolæ fuerunt *VVandali*, gens Germanica, teste *Plinio Lib. 4. cap. 14. pag. 52*. ubi Germanos in 5. genera distribuit, *Vindilos*, *Ingævones*, *Istævones*, *Hermiones*, *Peu-cinos*, *Basternas*. *Vindilorum* verò partem facit *Burgundiones*, *Varinos*, *Carinos*, *Guttones*. Ex his igitur *Varini*, à *Varno* amne dicti, *Mecklenburgum* tenuerunt, add. *Tacitus*, qui unum ex *Tvisconis* filiis *Wandalum* appellatum tradit; quin & *Lingva* eorum ipsos Germanos fuisse testatur, *vid. Cluv. Antiquit. Germ. Lib. 3. c. 46*. Cum autem hi *VVandali* quietis impatientes & armis assveti crebris expeditionibus quas suscipiebant, de quibus *vid. potest Proco-pius Lib. 1. Hist. Wand. p. 5. Eutropius Lib. 8. in Antonium p. 116. Isid. Hisp. Chron. Gothorum p. 443. apud H. Bangertum in not. ad Hel-moldi Chron. Slavorum pag. 8. 9. & Celeberr. Becmannum Hist. Orb. Terr. pag. 351*; terras suas denudarent incolis, *Venedi* dte *Wenden* (qui aliò nomine dicuntur *Slavi*, non quidem ita in divisione lingvarum ad *Babel* facta appellati, prout *Bohemorum* traditio vult, ab *Aenea Sylvio*, tunc nondum *Pio*, relata & à *Kranziop. 1. Vand.* refutata,

refutata, sed potius à Slova quod gloriam significat s. famam, pro-
ut ex *Cromero Lib. 1. de Orig. & Reb. Gest. Polon. Cap. 8. affert Bec-*
mann. l. c. & quam latissimè sese extenderunt, ita ut Poloniam, Bo-
hemiam, Dalmatiam, Africam que occuparent & sub Genserico
ipsam Romam caperent, de quo *vid. Kranz. pag. 3. & 22. Vand.*, qui
æque illis id laudi esse asserit, ac Cyro oppressisse Chaldaeorum, Ale-
xandro M. Persarum, Romanis Græcorum Monarchiam p. 24.) in
locum eorum successerunt, ubi non tantus erat numerus relictus
qui advenas arcere potuisset. Quam successionem adductis per inte-
gram ferè paginam autoribus confirmat *Bangertus l. c.* ut, licet nec
præcisè unde venerint Venedi, nec quo tempore immigrationem
fecerint, propter defectum Scriptorum, de quò omnes hîc conque-
runtur Historici, pateat; tamen Venedi cum Vandalis non confun-
dendi sint: quamvis interim *Kranzius* & ante eum *Helmoldus*, qui
id non adeò attenderunt, per istud excusari possint, quod tum nomi-
na hæc sint affinia, tàm in eundem locum VVendi successerint, *vid.*
Autor. Contin. Vandal. & Saxon. Kranzii, qui editus est cum *D. Chy-*
trai præfat. pag. 4. qui & ipse se ex iis rationibus Vandalix nomen
retinere indicat. Specialius nomen VVendorum Mecklenburgen-
sium est *Obotritarum*, *vid. de hoc & aliis nominibus ejusmodi anti-*
quis P. Albin. Chron. Misnensi pag. 386. VVendos Henricus, Rom.
Rex postea uno grandi prælio ita perfregit, ut cœteri perpauci
remanerint & Regi tributum & Deo Christianitatem ultrò pro-
mitterent, dicente *Krantzio Vand. Lib. 2. cap. 27. pag. 41.* porrò Ot-
to I. filius Henrici, Magnus appellatus, eos tanta virtute constrin-
xit, ut Ecclesiæ in Vandalia construerentur, Episcopatu Aldenbur-
genfi præter alios constituto, cui præerat Marco, cui subdebatur
omnis Obotritarum provincia, & tum Ecclesia Magnopolensis in-
structa fuit sub Patrocinio S. Petri, *vid. ibid. pag. 43. 44.* interim
cum per 70. annos adfuisset Religio Christiana, VVandali illam pro-
jecerunt rursus, nec ante receperunt, quam armis Henrici Leonis
adigerentur, dicente *Kranzio cap. 44. pag. 53.* Is enim tempore
Nicoloti, Obotritarum Reguli, ita eum vocat *Helmoldus Chronic.*
Slav. L. 1. cap. 83. pag. 186. terram ipsius aggressus est, quare hic suc-
cendit omnia castra sua videlicet Ilowe, Mikilinburg, Zverin &
Dobin,

Dobin, retento tantum Wurle, & tandem ipse interfectus est. Quo facto filii ejus ante dictum Wurle succensum reliquerunt. Tum Henricus Sverinense castrum munivit imponens ei nobilem virum Guncelinum, cum militibus præfidiariis, sed temporibus sequentibus filii Nicloti Pribislaus & Wertislaus in gratiam cum Henrico redierunt, quare terram ipsis aliquam reddidit; Cum interim fratres illi bellum renovarent, terris illis non contenti, occiso Wertislaō, Pribislaus omni quoque terra privatus est; Henrico Leone Waldemarum Daniæ Regem in auxilium vocante, & terram Obotritarum totam devastante, Slavis reliquis profugientibus. Tandem verò Henricus Pribislaō in gratiam recepto, omnem Obotritarum terram solo Sverino excepto, quam Guncelinus retinuit, restituit; quo facto illæ terræ in Coloniam Saxonum redactæ sunt. Vid. *Helmoldus* pag. 209. 226. 239. Et Pribislaus ædificavit urbes, Mecklenburg, Ilowe & Rostochium, atque ab eo tempore multum consiliis Henrici Leonis ductus est, ad Christianismum jam conversus. Interim res Mecklenburgicæ postea non in felici adeo statu permanserunt, vid. *Posselii Orat. de Rostoch.* pag. 19. donec melior fortunæ aura afflaret cum Cæsar Carolus IV. Henrici, ab animositate Leo dicti Principis Megapolitani, filios Albertum & Johannem in Ducum Imperii fastigium evexit. Vid. *L. W. Imhof.* Notit. Rom. Imp. Germ. Proc. L. IV. cap. 5. pag. 162. ex *Olthoff.* diss. laud. §. 9. 10. 11; qui porrò quibus modis provinciæ Mecklenburgicæ redintegratæ sint, ostendit; adducens ex fide dignis autoribus, *Stargardie Dynastiam* à memorato Henrico Leone, ductâ Alberti Marchionis Brandenburgici filiâ, partim belli partim emtionis jure receptam esse. §. 12. 13. *Comitatum Sverinensem*, ductâ ab Alberto II. Richarde filiâ Ottonis ex familiâ Guncelini, quem Sverinum accepisse jam supra diximus, accessisse. §. 14. *Wismariam* anno 1301. ad Henricum Hierosolymitanum dictum pervenisse. §. 15. *Principatum Venidorum* An. 1431. mortuo Wilhelmo ultimo Wendia Princepe, propter communem stipitem ad Mecklenburgi Duces transisse, cui Domitz annumeratum sit; quod olim à Marchionibus Brandenburgensibus Comitibus Sverinensibus pignori oppositum fuerat; *Dynastiam Rostoch.*, (in quâ celeberrima civitas

B

Rosto-



Rostochium, quæ quidem ignis vi 1677. magnam jacturam passâ, sed tamen adhuc, DEI gratiâ qua maximam partem superstes, & florente Academiâ ornata est) mortuo Nicolao, qui puer de Rostochio audit, perpetuò junctam fuisse. §. 17. Tandem *Episcopatum Sverinensem & Ratzeburgensem*, qui obnoxii fuerant juri metropolitano Ecclesiæ Bremensis; cum civitas portusque WisMariensis Svecis ad pacem redimendam cum Insula Poel tradi deberet; in satisfactionem abalienati patrimonii, dignitate Principis Ecclesiastici jure seculi mutata, in pace Osnabrüggenfi accessisse. Princeps Mecklenb., cujus tempore res memorata contigisse fertur, *Magnus*, nomine & omine talis fuit, ex antiquâ Regum Obotritarum familiâ, quam *Nicol. Marschalcus Thurius* ab ipso Anthyrio, Alexandri M. quondam celebri militiæ duce, acceffit. Conf. etiam *Lindenb.* l. c. pag. 19. Progenit verò Magnus noster Albertum *Formosi* nomine decoratum; Hic Johannem Albertum, hic Johannem, hic Adolphum Fridericum, hic è secunda conjuge Maria Catharina Brunsvvicensi Fridericum, Parentem SERENISSIMI FRIDERICI WILHELMI, hodiè REGENTIS, quem DEUS cum totâ SERENISSIMA DOMO clementissimè conservare, perennique felicitate, in maximum Patriæ dulcissimæ commodum, coronare velit.

§. III.

Expositis sic aliquantum fusius quæ ad Patriam nostram pertinent, ad eos pergimus, qui scelus illud ingens in relatione nostrâ perpatrasse memorantur. Sunt isti *Judæi*, ab odio, quod habent erga Christum, infensissimo, exstimulati, sed hoc effectu, ut pœnam nullo modo effugerint. De singulis illustrationis gratia aliquid memorandum. Sunt nempe *Judæi*, ut notissimum est, ex semine Abrahami secundum carnem, qua prærogativa illi valdè turgidi & in historia evangelica adducuntur, & hodiernum reperiuntur. Unde falsa est Taciti de *Judæorum* ex Cretâ aut Ægypto ortu relatio, ostendente id ac erroris originem adducente *C. Wormiô, de Corrupt. Antiquit. Hebr. ap. Tacitum & Mart. vestigiis L. 1. cap. 13.* Ipsum autem *Judæorum* nomen primò patronymicum fuit
Judæ

Judæ Jacobi filii posteris competens Genes. 29. v. 34. at postea cum decem tribus essent abductæ, nomen id latius acceptum est ad denotandam Religionem, qua ratione Theologi id vocabulum sumunt, ostendendo differentiam Religionis Judaicæ & Christianæ, eaque ratione *Josephus* libb. suos inscripsit *Antiquitates Judaicas. Conf. Magnif. Dn. D. Carpzov. Præceptor atque Patronus noster æternò honoris cultu devenerandus, Introd. R. Mart. Pugioni fidei præfixa. C. II. pag. 400.* Imò & à gentilibus, quamvis ex inscitiâ, Judæorum nomen Christianis in primis seculis est tributum. Vid. I. C. *Wagenseil. Dissert. epist. ad D. Job. Fechtium Theologum Rostoch. consummatissimum, Patronum nostrum æternum colendum p. 109.* Quomodo autem veterum Judæorum religio à Christiana differat, quomodo cum ea conveniat, vid. ap. *Chemnit. P. 2. LL. CC. Gerb. Tom. III. Quenst. Syst. P. IV. pag. 267. seq.* Ceremonias eorum quod attinet, *J. Marshamus in Canone Chronico sacra Hebræorum ex Ægyptiorum ritibus derivanda esse putat, refutante eum Herm. Witsio in Ægyptiacis; item I. Spencerus de Leg. Hebr. ritual. & earum rationibus L. III., cui respondet Wormius antea laudatus C. 4.* Ab istorum verò antiquorum Judæorum Religione moderni, de quibus agimus, defecerunt, & aliorum imperio subjacent. Imò licet Judæi olim in Dembea & Samena regnis Habassæ suo jure vixerint, refer. *Job. Ludolph. Comment. ad Histor. suam Æthiop.,* tamen id eos Christianis non posse opponere, idem ille sibi probandum sumit. Politiam atque Sacerdotium istos Hierosolymis recipere nunquam potuisse, adjuvantibus licet in odium Christianorum ethnicis, ut Julianò &c. docet historia. Interim tamen non obstantibus iræ divinæ in se perpetuis documentis, in sua sententia persistunt, animum illis addentibus seductoribus Rabbis, quibus tantum fidunt, ut majoris autoritatis putent esse verba sapientum Rabb. quam legis, & credere jubeant dicentibus iis dextram esse sinistram. Vid. *Raim. M. Pug. Fid. pag. 416. 807.* inter quos excellunt *Maimonides* atque *Abarbanel*, quibus neque doctrinæ excellentiam neque seductionis efficaciam defuisse, testantur ex oculari inspectione *Acta Erudit. An. 1686. pag. 527.* In quo autem doctrina eorum consistat, quam optimè ostendit *ante laudata Dn. D. Carpzov, Introductio in Theolog.*

Jud. Cap. nempe III, sectam Rabbanitarum Phariseorum esse propaginem, Karæorum autem Sadduceorum, & Cap. IV, Rabbanitarum sectam non solum prævalere, sed & Europæos Judæos omnes esse illi addictos, Cap. V, hanc interim esse humanam doctrinam traditionibus innixam, cujus, Cap. VI, duæ sint partes, prior *מעשה בראשית* Opus Breschith, posterior *מעשה מרכבה* Opus Mercaba, de quibus tamen valdè dissentiant R. Joseph Castiliensis & Maimonides, ubi Vir Magnificus, prout loqui amat, hariolatur, juxta antiquiores Judæos prius opus tractasse Religionem, quatenus ex scriptura constat, posterius autem mysteria ceremoniarum typica; declinante verò ad Pharisæismum Judaismo priorem partem in Talmudicam degenerasse doctrinam, posteriorem in nugas Cabbalisticas. Cap. VII, in tres Classes Theologiæ studium à Judæis distribui. Cap. VIII, modum proponendi vel mythicum esse, vel manifestum. Cap. IX, doctrinam dividi in catechetica & acroamaticam, ubi § 5 Catechismus Judaicus ex Synagogæ Amstelodamensis editione hebraicè cum versione clara exhibetur. Cap. X, dividi acroamaticam in masorethicam, exegeticam, didacticam, Polemicam, Historicam, Liturgicam, Asceticam, Homileticam, Cabbalisticam. Cap. XI, multos sed diversimodè contra Judæos scripsisse, addito consilio, de conficiendo systemate Anti-Judaico. Cap. XII, *Raimundi Mart. Pugionem fidei* esse commendandam, quæ porrò integra exhibetur cum *Observ. I. de Voisin.*

§ IV.

Flagrat autem natio Judaica, cujus à Maimonide confecti tredecim articuli catechetici potissimum Christianæ Religioni opponuntur, odiò erga Christum & Christianos tantò, ut etiam exinde nonnulli fontium corruptores eos fuisse asseruerint, ut *Vossius*, qui id circa Aquilæ tempora contigisse ostendere vult, in *Resp. ad Object. Critic. Sac. R. Simonii*, & in *Resp. ad iteratas*, ut vocat, *Simonii Object.*, quod ex Hieronymò à S. Fide pluribusque Judæis conversis intelligi posse dicit, item in *Respons. ad tertias Simonii Object.* Sed huic Viro, ut jam apparuit, opposuit se hic *Rich. Simonius*, alias ipse in S. Scripturam fati injurius; simili modo *Paulus Pezron*

Pezron in Antiquitate temporum restituta, ut hanc hypothesin obtineat, Judæis & aliorum Scripturæ locorum & chronologiæ corruptionem tribuit. Huic verò se opposuit præter *D. Martianay Benedictinum*, citatum in *Act. Erud.* An. 1691. pag. 163. *M. Lequien* Ordinis Prædicat. Monach. Paris. in *defensione Textus Hebræi & versionis vulg.* objectiones illius refutans, idque multis argumentis, quæ Luther. Theologi contra Pontificios pro autoritate fontium allegare solent, quæ argumenta fortissimè etiam in *Prodromo ad refutationem Alcorani* urget contra Turcas corruptionem bibliorum objicientes *L. Maraccius Cler. Pontif.* P. 1. pag. 33. conf. etiam *Autor confid. in Libb. S. Script.* (quem *Acta Erud.* ann. 1689. pag. 397. *Allixium esse putant*) Tom. II. C. 6. Id quod de corruptione quoad fontes, prout sese invicem excipiant ordine, accipiendum est. Nam alias Judæos ipsa dicta depravare, patet ex *Nizzachon* veteri, quod non solum quædam testimonia mirè corrupta, sed & aliqua pronuntiata pro divinis, obtrudere laborat, quæ nusquam in s. codice comparent, ut ait *Wagenseil. in illius Præfat.* Odium verò erga Christum & Christianos summum, quò moti eò libentiùs tot Pseudo-Messius, toties decepti, fidem tribuerunt, de quibus post alios videri potest *I. Hottingerus*, & *I. à Lent*; ex multis documentis liquet. Nam licet falsò illis quædam objici cum aliis à *S. F. Brenzio* Judæo converso in *Leberide*, concedat *I. Wulferus in Theriaca Judaica* (quam contra Brenzium ediderat *S. Zevi*) *ad examen revocata*; (Conf. *Act. Erud.* ann 1682. pag. 205.) prout & *Wagenseil*, se in *judicio sanguinis* 25. rationibus, quod Judæi sanguinem Christianorum casorum non medicinæ mysteriorumve causa excipiant ac reponant, evicturum esse, promittit in *Ichnographia illius operis, epistole ad Magnif. Dn. D. Fechtium adjuncta*: Tamen exempla cædum in Christianos paratarum adsunt; quale affert *Kranzius* Pragæ factum pag. 169, conf. & cap. 18. lib. 10, & exemplis multis comprobabit in scriptò ante citato ipse *Wagenseil*. Calumnias verò in Christum ex Talmude recenset *B. D. Pfeiffer. in Theolog. Jud. & Muham.*; quod interim de *Gemara* non *Mischna*, accipiendum *Wagenseilius* asserit *Refut. Toldosch Jeschu*, pag. 10. & in epist. ad *D. Fecht.* pag. 115. seq. Summa autem cum acerbitate illas sistit

las sistit *Toldosch illud Jeshu à Wagenf.* insertum *telis igneis Sata-*
nae; quod tantam de JESU exhibet mendaciorum colluviem, ut
meritò *Wagenfeil.* in refutatione illius dubitet, an majora unquam
mendacia sint prolata. Nam ne speciem quidem veritatis relatio-
nibus istis inesse, ex contradictoria aliorum exemplarium ac rela-
tionum Judaicarum discrepantia; eorum, in quibus cardo fabulæ
vertitur, apud antiquos hostes, Judæos scilicet & gentiles, silentiò,
ac ipsius Talmudis, ad quod tamen provocatur, contrarietate;
porrò ex manifestissimis contra omnem historiam mendaciis ac
absurdis, ut in mentione temporis ficti, lapidis, cui Schemhampho-
rasch inscriptum, item quod mago DEUS concesserit Schemham-
phorasch discere, quod Judæ quoque ac Schimoni illud ad cala-
mitates declinandas licuerit adhibere, quod Roma metropolis
Christianorum fuerit &c; quam invictissimè probatur. Unde Rab-
bini quoque nonnulli hocce *Toldosch* suis suffragiis damnasse me-
morantur. Patet autem ex hisce odii Judæorum in JESUM maximi
causa, quare & in nostra relatione hostiam, quam in corpus Chri-
sti conversam esse à Pontificiis perceperant, confoderunt, cujus-
modi malitiæ exempla plura in sequenti tractatione adduce-
mus. Sistitur quoque poena Judæis inflicta, quod nempe scele-
ris participes cremati & omnes ex terra Mecklenburgicâ ejecti sint,
in quâ etiam hodiernum non tolerantur. Meminit illius crematio-
nis Judæorum quoque *Kranzius* Lib. 14. cap. 17; qui multa præter-
eà exempla poenarum Judæis inflictarum adduxit; ut L. 7. cap. 40.
quod Pragæ ob Christianum crucifixum enecati. Lib. 8. cap. 22. ob
fontium venenatorum suspicionem flammis traditi. Lib. 9. cap. 23.
Pragæ ob sacerdotem contumeliâ affectum cæsi. Lib. 10. cap. 18.
ex Misniâ & Thuringia ob puerum Christianum in contumeliâ
Christi morti destinatum expulsi sint. Quod præterea ex Hispania
trecenta millia Judæorum an. 1492. à Ferdinando sint ejecta, causan-
te id vel Regis devotione, vel juxta alios Abarbanelis, qui in ma-
gnis honoribus ibi versatus fuerat, avaritia atque fastu, referunt *Act.*
Erud. ann. 1686. pag. 530.

§. V.

Qui Judæis hostiam tradidit, fuit *sacerdos*, qui concubinae suæ lebetem Judæo oppignoraverat. Notum est, Pontificios Ecclesiae Lutheranae ministros sacerdotum titulo indignos judicare, eumque missificis suis deberi, contendere, quippe qui characterem indelebilem per unctionem acceperint; Verba in olei consecratione adhibita ex *pontificali Romano* pag. 175. exhibet plurimum *Rever. Dn. M. Guntherus* in der gründl. Schutz-Schrift pag. 76. Qui tam de reliquis sacerdotum juxta Pontificios requisitis, quam de iis, quæ ad illa regeri debeant, conferri meretur. Hi autem sacerdotes Pontificiorum non minus ac Monachi coelibatui addicti sunt; cujus maximè politicam rationem adducit *Puffend. Einleitung zu der Historie* pag. 858. his verbis: die gesambte Clerisey kan man vergleichen mit der beständigen *Milice* eines Potentaten der große *Conquesten* gemachet hat/ dadurch Er diese im Zaum halte —. Die *Classe* hat dieses besonders / daß sie sich insgesambt der Ehe enthalten müssen / welches man zwar fürgibt / daß es wegen sonderbahrer Heiligkeit geschehen soll ——— allein die eigentliche Ursachen sind / daß diese Leute nicht mehr auff ihr Weib und Kind als auff der Kirchen *Interesse* trachteten / darüber desto bereiter wären / des Pabstes Willen in allen Stücken / sondertlich wider die Fürsten / worunter sie leben / zu *exequiren* / ——— so würde auch endlich der Geitz der Clerisey beyweilen nicht so reiche Erndte gefunden haben / wenn es das Ansehen gehabt / daß sie für ihre Weiber und Kinder zusammen scharreten / als daß es nun geheissen hat / sie bettelten nicht für sich / sondern für die Kirche. De arte Pontificiorum statistica, vide sis, præter B. D. Alberti in Interesse & Puffend. l. c. *Gibellinum in Cesareo-Papia Rom.*, ac C. Wolff. 4. Diff.; non negante eam ex *Pontif. Vicelio in Via Regia*, & M. An de Dominis de *Republ. Eccles.* Quanto magis autem Coelibatus Clericorum ad firmamentum status Pontificii pertinet, tantò magis Papa illum introducere laboravit. Confer., qui etiam per singula secula, quomodo interdictum matrimonii respectu sacerdotum creverit, deducit, B. D. Scherzer. Loc. XXVII. syst. §. 16. & *Calixtus de conjugio cler.* Ast, quod observat *Puffendorffius* l. c. ob-

l. c. obliti sunt tam strenui cœlibatus defensores remedium legitimum Clericis, quò donum continentiae nanciscerentur, præscribere. Nam sec. jam VII. *sacerdotes cœlibatui faventes impuras concubinas aluisse* adducit *Rechenb.* l. c. pag. 200. Ante Lutheri tempora Germanos Episcopos acceptò tributò Concubinas Clericis indulgisse, in scriptò contra *Bosvetum* adducit *Basnagius* annexo *Historie de Relig. Eccles. Reformat.* Ad cuius fuffuris sacerdotes noster juxta *Historiam Lindenbergii* referendus venit. Erat prætereà eò tempore summa Clericorum ruditas, ut multi Sacerdoti illi, qui sec. VIII. occasionem contentioni inter *Bonifacium & sacerdotes Bojaria de Baptismò reiterando* dedit, dum baptizasset in nomine Patria & Filia & Spiritus sancta, palmanam quoad doctrinæ præstantiam dubiam reddiderint. Et crassa istiusmodi ignorantia *U. ab Hutten* occasionem dedit, epistolis obscurorum virorum editis Monachos perstringendi, quippe qui eò rabiei devenerant, ut solidè doctos viros, barbariei ipsorum inimicos, causæ Lutheri implicare, simulque cum eò opprimere tentarint. Cont. hoc sine allata in *Dissert. Censor Cens. dignus* Sect. 1. §. 5. ubi temporum illorum miseria graphicè depingitur, adductis testimoniis *H. C. Agrippæ, Erasmi, Lutheri, L. Valle, Gasfendi, Verulamii*, aliorumque. Gavisus est interim Papa, non dari posse ita facile, qui tyrannico ipsius imperio, fabulisque resisterent. Interim non tota actio illius de quò agimus sacerdotis, ex simplici ignorantia profecta est, sed potius pravæ dispositionis ignorantia in eò regnavit, quandoquidem ipsum hostias sub opinione transsubstantiationis consecrasse percipimus. Notius enim est quam quod dici debeat, Pontificios sacramentum s. cœnæ horrendis ritibus profanare, de quibus summis abusibus conferatur *B. Dorscheus in Mysaria Missæ.* Accessit abusui maxima apud hunc nostrum malitia, quando illum panem, quem in corpus Christi conversum sibi persvadebat, Judæo tradidit, hosti Christi infensissimo. Certum sanè est, nihil magis profanationi obnoxium esse, quam hostias consecratas, qualia exempla *Osiander* allegavit in *Theol. Cas. de Cœna Dom. cap. 4. pag. 565.* Hoc abusu, inquit, vix quicquam frequentius est, quando consecrata & ori jam immissa hostia inde denuò clam extrahitur, vulneri
in certa

in certa corporis parte facto adaptatur — ac confidenter creditur, quemlibet, hoc *Φυλακ* legio munitum, tam a plumbi quam ferri penetratione deinceps fore immunem, imò evasurum esse prorsus invulnerabilem. Et occasione facti ejusmodi, *Hafnia* à milite quodam patrati *Celeb. H. I. Masius* non longe abhinc Dissertationem emisit *de Profanat. Hostiæ consecr.* Sic etiam usi sunt nonnulli sacrâ Eucharistiâ ad innocentiam probandam, ut vel abusus ille in proverbium abierit, & *Concil. Wormat. Can. 15.* verba adducat *Arnd. l. c. p. 205. sqq.* Si in monasterio furtiva contingunt, omnes communicent in hæc verba: *Corpus Domini sit mihi in probationem hodiè*, cujusmodi superstitiosi probationis modi tria adhuc genera, per ignem sc. aquam & duellum adducit *Bangertus in notis ad Helmold. pag. 189. sqq.* Acerbam tandem pœnam sacerdotem hunc luisse, historia nostra testis est, quippe quæ eum forcipibus ignitis laceratum combustumque refert. Et sanè gravissimè animadverti decebat in tantam hostiæ profanationem ab eo patrata, qui omnis etiam blasphemix à Judæis in Christum commissæ causa exstitit moralis. Neque enim major impietati ansa dari potest, quam si impunitatis affulgeat spes. Quod prout in reliquis verum est, ita magis sacrilegos attinet: ad quos hic noster referendus est, cum sacrilegi dicantur in *jure Canonico* omnes illi, qui res sacras è templis eripiunt, ut eas convertant in profanos usus. Vid. *septim. Decretal. L. V. Tit. 6.* apud *Masium pag. 67.* Blasphemix autem crimini maxima pœna constituta est, tam in lege forensi Mosaica *Levit. 24. vers. 14. 16.* quàm in *jure civili*, *Novell. 77. c. 1. §. Præcipimus, & Canonico septim. Decretal. L. V. tit. 7. c. 1. & 2,* & jus naturæ non ullum delictum majus esse, quam quo immediatè DEUS læditur summus humani generis Dominus, ostendit. Juris Danici in puniendis blasphemis & profanatoribus sacramentorum rigorem exhibet *Masius l. c. Sect. 3. §. 8,* eumque defendit *Sect. IV,* qui & de reliquis conferatur.

§. IV. Expositæ verò profanationi fuerunt *hostiæ*. Ubi notamus, derivari vocem hostiæ juxta *Servium* in II. *Æneid.* à verbo *hostire*, quod æquum propitium reddere significat, juxta alios verò ab hostibus, quod post illos cæsos immolata olim est, prout *Ovidius* ait *L. I. fastor.*

Hostibus à domitis hostia nomen habet.

C

Conf.

Conf. Fab. pag. 1116. Ne autem homonymia vocis nobis imponat, sciendum, aliò planè in sensu vocem Hostiæ accipi à sacra antiquitate & Lutheranis, qui panem Eucharisticum hoc nomine insigniunt, quia est vehiculum, quo offertur vera pro peccatis mundi hostia; aliter à Pontificiis, ex quorum grege sacerdos ante memoratus fuit. Existimantes enim panem Eucharisticum accedente consecratione in Corpus Christi converti, ita, ut panis nihil supersit, nisi mera accidentia, (quod tamen Philosophiæ sanæ absurdum est, frustra renitente Gassendo Exerc. Paradox. contra Arist. Lib. II.) libenter vocabulum hostiæ de pane illò usurpant. Clara evadit ista sententia ex verbis Cornelii à Lapide ad Es. VII. pag. 119. per verba, inquentis, consecrationis uti verè & realiter transubstantiatur panis, ita producitur & quasi generatur Christus in altari; adeò potenter & efficaciter, ut si Christus nec dum esset incarnatus, per hæc verba *hoc est Corpus meum*, incarnaretur, — sacerdos ergo quasi est virgo DEI para, — parvulus Emanuel, quem parit, est Christus sub parvâ hostiâ productus. Quæ blasphema verba Theologis refutanda hic relinquimus. Obs. modò, linguam Latinam in consecratione adhiberi, quod ad rationem status pertinet, quare *Vitalian. Papa jam sec. VII. jussit, ut in Eccles. omnia latino sermone fierent. Vid. celeb. Rechenb. p. 201.* Hostiæ igitur more solito consecratæ & juxta opinionem sacerdotis in corpus Christi conversæ sanguinem emisisse, cum à Judæis sauciarentur, imò major ex illis in altum exiliisse, referuntur. Maxima autem seculis sequioribus datur leges historiarum de hostiis cruentatis & miraculosis. Sic in *Venceslai Haggecii Chronica Bohemica*, in Germanicam Linguam translata à Joh. Sandel p. 355 narratur, prope Francofurtum ad Mœnum in oppido Rotil similem contigisse rem; hostiam sc. à Judæo, cui illa à fure vendita erat, compunctam esse, insequente ictum sanguine. Multa istiusmodi exempla alia collecta reperiuntur in *Titio continuato à Schneidero*, sub titulo *Mißbrauch und Aberglauben im Pabstthum*. vid. p. 300. & 1242, item *VVolfio in lect. memorabil.* Nos ex *Bzovii Baronii Continuatoris annalibus Ecclesiasticis* quædam adhuc adjungemus. Refert enim ad annum 1239 p. 466, quod in Valentia Regno, cum 6. viri per hostium adventum à sumendis hostiis, in ipsorum gratiam consecratis, impediti essent, hostiæ sanguine aspersæ, redeun-

deuntibus ipsis, inventæ sint; ad annum 1298 p. 1066, quod hostia à Judæis in Francia Orientali pistillo in mortario contusa cruorem effuderit. Ad ann. 1338. quod hostia stillaverit sangvinem ex ictibus repetitis à gladio per Judæos, qui cum domo eam eiecissent, se ipsos prodiderint; ad ann. 1369. p. 1354. quod ex hostiis Bruxellis pugionibus à Judæis transfixis cruor copiosus effluerit, ad ann. 1198. p. 16. quod apud *Rosetum* in Umbria in sacrificio altaris vinum visibiliter mutatum in sangvinem, & panis in carnem, ad annum 1199. p. 617. quod mulier hostiam in ore reseravit ac cera circumdederit, quæ, apertâ cerâ, reperta sit in veram carnis sanguinisque substantiam mutata; ad ann. 1200. p. 77. quod religiosis quibusdam petentibus, ut sub utraque specie sumerent sacramentum, sacerdote quodam pio celebrante, cum faceret fractionem, concavum patinæ totum visum sit repleti sanguine: ad quod obstupuerunt cum ipso adstantes, sed cum jungeret partes hostiæ, totum visum sit reintrare, & tùm petitioni eorum tùm tentationi remedium datum fuisse, confer. præterea *Kæberus Tract. de sanguine Christi Dissert. 17. p. 230. seqq.* ubi annotat, ad tres classes prodigia istiusmodi reduci posse; nempe vel hostias totas in sangvinem mutatas, vel sanguine duntaxat asperfas fuisse, vel sanguinem emisisse legi. Nostra Historia celebritate nulli reliquarum cedit, & proinde frequenter allegata reperitur, licet circumstantiæ relationum variant. Sic ea exhibetur ap. *Francken* in Chronico p. 212, apud *Tit. Contin.* p. 1259. apud *Marschalcum Thuriū* ex quo *Lindenb.* multa deprompsit, apud *Nauclerum* in Chron. general. ex quo eam refert *König* Casib. Conscient. p. 604. 605, & ex illo *Mafius* p. 76, alibique.

SECTIO II.

§. I. **A**D aliquale, quod promisimus, de hacce relatione iudicium ferendum, distingvamus, necesse est, inter circumstantias illius miraculosas, quæ nempe hostiarum cruentationem, exultationem aliaque attinent; & reliquas. *Has* negare ad minimum omnes, non licebit, quippe historiæ istius temporis firmo satis testimoniò munitas. Confer. *Kranzius*, cujus tempore res contigit, historicus fidelitatis laude non defraudandus *Vand. lib. 14. c. 17.* Superest Tabula, in

quâ facinus à Judæis patratum refertur, in templo Sternbergenfi. Mons, in quo Judæi combusti sunt, hodiernum adhuc nomen ab illis habet, vocaturq; Jingva Saxoniae infer. *De Juden Berg.* Sacerdotem poenam Rostochii luisse certissimum est. Illas verò quod concernit, non parem fidem inveniunt aut merentur, quare causæ aliquantum perpendendæ sunt.

§. II. Non possunt autem allegari causæ cruentationis &c. physicae, cum neq; in hostia, si absque fraude, ex farina & aqua confecta sit, ulla ad emittendum sanguinem adsit dispositio, neque ferrum Judæorum talem in se vim habere potuerit, ut ictus sanguinem produceret. Et sic Aristotelicis non licebit ad occultam aliquam facultatem refugere. Equidem in Q. Curtio L. IV. cap. 2, in pane quodam sanguinem repertum fuisse legitur, pariter Virgil. Lib. IV. *Æneid.* vinum in sanguinem mutatum refert, his verbis:

Fusaq; in obscœnum se vertere vina cruorem.

Ita etiam cadavera diu post occisionem, ubi æque nulla ad id dispositio adest, sanguinem stillasse, non negandum est; testibus tot actis criminalibus, & tot J. Ctorum ac Medicorum ea de re scriptis, quæ videantur in P. Zacchiae quæst. Medico-legal. Tom. I. p. 429. sqq. Ast, quod ad priora duo spectat, ea ab autoribus suis prodigiis non naturalibus effectibus accensentur. Quoad verò sanguinis ex cadaveribus fluxum, partim multa hic magnificentius jactata sunt quam verius, partim verò novum non est; loquatur Zacchias p. 432, ex cadaveribus quibuscunque --- etiam postridie aut die tertia à morte sanguinem emanare; & exinde, quod fluxus ille in occisis coram occidere factus sit, per accidens contigisse, idem Zacchias l.c. statuit, unde & celeberrimi naturalium Quæstionum scriptores hanc non attrigerint p. 430. b. Quamvis magnam utriusque probabilitatem Dei permisso habet, secus quam putat Zacchias p. 431. b. multa in hujusmodi rebus accidere dæmonum opera.

§. III. Pontificios si quæreremus, illi causæ cruentationis loco afferrent transubstantiationem, ad quam probandam illa pseudo-miracula, à nobis Sect. I. § ult. allegata, venditata sunt. Item talia miracula necessaria adhuc esse, ad Ecclesiam veram à sectis distinguendam cum suo Segnerio in incredulo inexcusab. p. 170. sq. profiterentur. Sed utrumque falsum esse in Theologia probatur, quod nostrum non est hic decidere. In specie ultimam sententiam refutat Pontif. Autor Anon. Tractatus, Genesis gallicè versa cum explicatione sensus literalis & spiritualis &c. in præfat. ubi, ille laudat verba Augustini, credendum esse mundo credente, nisi quis velit ipse prodigium esse, qui prodigia postulet.

§. IV. Id equidem verum est, non impossibile fuisse Deo, miraculosè, ad vindicandam nominis sui gloriam, sanguinis fluxum ex hostia procurare, cum omnipotentia divinæ nullum hic obstaculum poni potuisset; Et exempla miraculorum tam in s. Bibliis occurrunt: quoad V. Testam. à Mose & Prophetis (opinionem Malebranchii in Tract. de natura & gratia explic. aucto, refutavit Arnaldus vid. Act. Er. ann. 1685. p. 308. sqq.) quoad N. à Christo & Apostolis, (quæ cum negare non auderent, saltem calumniis proscindere gavisii sunt impii Judæi in blasphemo suo Toldosch Jeschu ante memorato) peracta: quàm in historia ecclesiastica, Hanc quod concernit
relatio-

relationes de miraculis inveniemus per singula secula. Sic refertur ex seculo I. Johannem Evangelistam in dolum ferventis olei injectum evasisse illaesus, vid. Tertull. de Praescript. c. 36. Ex Sec. II. legionem fulminatricem Christianorum Romano exercitui precibus pluviam ad sitim restinguendam impetrasse, hostibus praeterea ictibus fulminum prostratis, vid. Justin. M. Apol. 2. & Tertull. Apol. c. 5. Sec. III. Gregorium a miraculorum patratione frequenti nomen Thaumaturgi adeptum esse, vid. Nyssen in Orat. de vita & miraculis illius. Secul. IV. miraculose conversum esse Constantinum M. apud Euseb. de V. C. L. i. c. 28. Sec. V. Ampullam Rhemensis cum sacro Chrismate per Columbam rostro ad Clodovæum baptizandum delatam esse; cujus generis plura vid. ap. Magdeburg. Cent. V. c. 13. Sec. VI. Magna incrementa fuisse miraculorum per reliquias, imagines, sanctorum invocationes per actorum depredicatio, vid. Evagrius alique, quæ crescentibus seculis magis magisque crevit, ut ulteriora addere non necessum sit. Respiciantur dicta Sect. I. §. ult. Ubi modo apponimus judicium ante laudati Rechenbergii, quando Hist. Eccl. p. 44. donum miraculorum, ait, hoc ævo inter Apostolos -- frequens, sequenti seculo -- rarius factum est. Verba Augustini huc spectantia, jam Secul. V. prolata, exhibita sunt in §. præced. Ast ultimis seculis ad errores stabiliendos, tam multa ficta sunt miracula, ut vel ipsa multitudo suspecta illa reddat. Sed etiam non omnia, quæ prioribus seculis referuntur, sub eundem veniunt censum. Multa dubia intermisceri, vel inde constat, quod ipsius Gregorii Thaumaturgi miracula maxima ex parte conficta esse, haud dubitetur. Vid. Cave Hist. lit. p. 68. H. Dodwelli Diss. in Irenæum 2, qui etiam notas verorum miraculorum affert, & quomodo ea à falsis discerni debeant.

§. V. Sic igitur id, de quo agimus, miraculum, fictis accensere haud dubitamus. Tempora enim illa figmentis subjecta fuisse si quis dubitet, inspiciat modo Legendas, ut vocant, de vitis sanctorum, illius ævi fortis: ex quibus B. Lutherus Tom. 6. Jenens. Germ. p. 504. vitam Chrysostomi manifestis absurditatibus scatentem, eum notis exhibet, miseriam temporum, quod coacti sunt homines absurdis istiusmodi mendaciis credere, graphicè depingens his verbis. *Ist lachet man solcher Lügen / und will es niemand glauben / aber wohl euch junge Leute / die ihr das Licht habt :: hätte noch vor 20. Jahren einer sollen von dieser Legendem Chrysostomi halten / daß ein einiges Stücklein erlogen wäre / er hätte müssen zur Aschen verbrandt werden.* Ipse sane Actorum sanctorum cum aliis Collector Papebrochius in Præfat. vitæ B. Mariæ Virginis Antiochenæ, præmissa Actis Maji Tom. 7. p. 501. lateri cogitur, relationem de Maria illa stylo recentiori exornatam eo habendam esse loco, quo multa in vitis sanctorum, utilem quidem instructionem continentia, sed ad historicam certitudinem parum aut nihil. Inprimis verò imposturas quæ ad Reliquias sanguinis Christi ostentandas adhibitæ sunt, maximas fuisse, ex certis testimoniis liquet. Sic ex Husso, quem adduxit J. Wolff, Lect. memorab. Cent. 14. fol. 689, constat, Monachum quendam procurasse fraudulenter sanguinem in Hostia consecrata, qui tamen poena promerita affectus sit. Sanguinis Wilsnacensis falsitatem post alios detexit J. Ellefeld apud J. C. Beckmannum dissert. de Prodig. sang. cap. 4. th. 7. Sic Sverini in Meclenburgensi Ducatu cultus est sanguis Christi, qui postea reclusus -- Draconis sanguis deprehen-

sus

AK
Th
3973

fus est, ut scribit Flacius Catal. Test. Verit. pag. 1025: qui sanguis nihilominus singulis diebus Veneris juxta Hottinger, Sect. 15. H. E. pag. 436, monstratus aperire se, & in tres partes deduci ac rursus coire spectantibus videbatur, quare magno hominum concursu annos amplius CCC. cultus est. Conf. etiam scriptum Æ. Fabri contra hunc sanguinem von dem falschen Blut und Abgott im Thum zu Schwerin cum præf. Lutheri vid. Tom. 6. Altenb. f. 19. Fraudes Boxtelensium, qui in lintei nova per sanguinem ovillum tinctura deprehensi sunt, exhibet Voetius sel. disp. P. III. p. 1005. de simili sanguinis Bornæ in Anglia & Romæ suppositione, conf. qui ex autoribus illa collegit I. F. Koeber. Diss. de sangv. Jes. Ch 22. p. 318 sqq. Et quicquid interim sit de reliquis historiis, de fluxu sanguinis ex Hostiis, cum per diaboli etiam præstigiis ejusmodi quid fieri potuisse non negemus; nostram tamen falsitatis exinde convincimus; quod non nitatur autoris fide digni relatione. Thurium enim, ex quò huc pertinentia Lindebergius desumpsit, alias quoque nimis credulum fuisse, ex inspectione liquet, vid. Olthoff in Diss. de Reb. Meck. §. 4. Kranzius è contra, qui & eo tempore vixit, & Historiam ad tractus istarum terrarum ex professo scripsit, hujus miraculi in Hist. l. 1. e. ne verbo quidem facit mentionem, sed potius addit; cœptus est concursus undecunque populi in locum Sterneberg: facta & infecta miracula denunciant improbi sacerdotes. Quò perspectò finem nostrum assequimur, quem initio proposuimus, GLORIAM DEI.

VIRO maxime venerabili

DN. JULIO ERNESTO HAHN,
Sereniss. Meclemb. Duci, DN. FRIDERICO WILHELMO,
à Concionibus Aulicis, & Confessionibus,
Domino ac Patrono honoratissimo S. D. P.

L. GOTTLÖB. FRIDERICUS Selignann.

Ecce, ut votis Tuis respondeant, Vir maxime Venerabilis, Filii, qui hic subsistunt, dilectissimi. Spatium elapsum est non admodum amplum, cum Medius natu in publicam prodiret lucem, & è solidiori Philosophiâ de iis, quæ ad artem ratiocinandi spectant, magnò cum applausu, disereret. Nunc Major natu, quàm Ecclesiæ, ut universæ, ita patriæ imprimis, historiam sibi habeat commendatam, specimine, certè pereruditò, demonstrat. Neque verò in his saltim versatum utrumque scias, quæ pro Cathedrâ quilibet defensitare hætenus suscepit. Quicquid ad subeunda Theologiæ intimiora facit, illi penitus imbibendo, ingenti cum ardore credas Natos inharere mellitissimos. Vident Doctores, quorum ad pedes sedent, industriam, & laudant. Ego verò, cui & ipsi eadem satis abundèque perspecta est, de gaudiò, quod ad Te PARENTEM redundat inde, Tibi, Vir Maxime Venerabilis, non possum non animitus gratulari. Cernit ob oculos posita Fratrum vestigia minor natu, præterque publicam, quâ in Thomanâ nostrâ Scholâ fruitur, exoptatissimam Informationem, privatò ipsorum ductu nixus ad isthæc attingenda tendit. O dulcem Trigam! quæ novam semper gandendi materiam Tibi, Vir Venerabilis, felicique cum Successu, pollicetur. Servet Te DEUS! Servet PRINCIPI Optimo, Tibique ob animæ Curam singulari Gratiâ addictissimo; Servet Ecclesiæ! Et habebit hæc, cur de Te latetur, & Tuo quoque pectore non deerit per incrementum Filiorum, Votis ex asse respondentium, multa latandi Occasio. Scrib. calamo festinantiss. Lips. Mens. Jan. Anni, quem nuper cœptum Tibi ac Tuis, Vir Maxime Venerabilis, jubeat Summum Numen, fortunatissimum esse, MDC IC.

1077

Q. K. 401,3.

X 1903

DISS

H
STEL
AJUDA
ET

benevolè su

M. HENF
Ro

Fautore suo o

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)
An.
JULIUS

LIPSI



II n
3973

Æ
SSA

ilof.

gelfel

undo.

BIBLIOTHECA
SACCAVIANA

hitt /

